

habitus gratiæ in omni quantitate quam antea habebat, sed in illa in qua modo per contritionem disponitur, ut dicit in p. q. LXXXIX, art. v ad tertium, et in III, dist. XXXI, art. IV, quæst. III ad quartum. Ubi etiam docet quantitatem gloriæ commensurari cum quantitate habitus gratiæ, non cum multitudine actuum. Et idem habet in IV, distinct. XLIX, quæst. I, art. IV, quæst. IV ad tertium.

XXVII. Similiter admittunt oppositi auctores, quod in eodem actu remisso partes indeterminatæ sunt vere meritoria augmenti, et tamen non merentur seorsum augmentum determinatum, sed dependent a terminatione actus, ita quod si totus actus integer non terminaretur, illæ partes manerent sine præmio, quia merentur dependenter ab illa terminatione. Idem ergo dicimus de pluribus actibus remissis, qui de se ordinantur ad actum ferventiorum, et vere merentur augmentum, cujus executio dependet ab illa dispositione, non autem cujus executio sit absoluta ab omni conditione.

XXVIII. Et quando instatur, quia absolute merentur augmentum, sicut etiam similiter merentur vitam æternam respondetur, quod absolute merentur, id est, absolute habent rationem meriti, non tamen ut absolute dandum præmium independenter ab omni conditione, et requisito, ut explicatum est. Et quando Concilium dicit cap. XVI: « Nihil justificatis deesse quominus vitam æternam suo tempore consequendam, si in gratia decesserint, promeruisse censeantur; » verum est nihil illis deesse ut sint, et censeantur esse merita in suo genere, non tamen dicit Concilium, nihil deesse, ut de facto consequantur. Sicut enim pro consequenda gloria requiritur habitus gratiæ, et pro tanta gloria tantus habitus, qui si

diminuatur, non consequentur tantam gloriam, ita et pro augmento requiritur actus ferventior, et licet illi correspondeat augmentum ut causæ sufficienti. Respondeo, quod est causa sufficiens quasi proxime, et ultimate determinans, actus autem remissi præcedentes tamquam causæ, et dispositiones remotæ respectu ejusdem augmenti. Si instes: Quia hoc est nihil mereri, cum non mereatur aliquid determinatum seorsum ab actu intensiori respondetur, quod meretur aliquid sicut disponit ad aliquid, et sicut partes actus remissi merentur præmium, quatenus disponunt ad merendum, licet non distinctum præmium ab ipso toto; ita actus remissi cum ferventiori ad quem disponunt, unum meritum integrant.

XXIX. Ad secundum respondetur, quod actus remissus meretur tria. Primo, gratiam suæ latitudini correspondentem, quam si non invenit in subjecto, dabit illam; si vero invenit, non dabit, sed eandem novo titulo, qui tamen titulus non superfluit, sicut neque actus ejusdem rationis, et intensionis; et sicut se habet meritum infinitum in Christo ad exhauriendum totum præmium, ita se habet quilibet actus remissus ad formam unius, et ejusdem intensionis, et rationis: secundo, meretur præmium accidentale de quo non loquimur hic: tertio, meretur augmentum gratiæ, sed eo modo meretur quo disponit, scilicet non determinatam partem augmenti seorsum ab actu ferventiori, merendo, sed concurrendo cum actu ferventiori ad merendum augmentum, quod per ipsum determinatur proxime et ultime, et ita non semper auget de facto actus remissus, sed ut S. Thomas ait articulo sexto, solutione ad tertium, in via Dei proceditur non solum dum disponitur ad ejus augmentum.

XXX. Si instes: Qui peccat per actus remissos inducit novam maculam, et meretur novam pœnam etiam damni: ergo qui meretur per actus remissos, meretur novam gratiam et gloriam, negatur consequentia, quia nova macula consistit in privatione gratiæ cum respectu ad causam, quæ est peccatum. Non repugnat autem multiplicari respectus ad novas causas in privatione habitus. At vero augmentum non fit solum per novos respectus, sed per novam perfectionem qualitatis, quæ petit distinctam dispositionem; nam quoad novos respectus etiam augetur gratia in ratione præmii, quia novo titulo datur; quoad pœnam autem sensus, quæ accidentalis est, crescit damnatio per peccatum remissum, sicut præmium accidentale per actum remissum, unde omnia sunt paria.

XXXI. Ex dictis manet solum fundamentum contrariæ sententiæ, quod posuimus articulo secundo, argumento primo. Respondetur enim juxta primam solutionem, quod actus meritorius requirit actum intensiorem ut dispositionem, non in hac vita ponendam, sed in alia. Et ad replicam jam respondimus, quod actus charitatis in patria procedit a visione in genere causæ efficientis, et sic est præmium, et præcedit illam in genere causæ materialis, et sic est dispositio.

XXXII. Ad secundum vero dicitur, quod ista dispositio physica ponitur conformiter ad connaturalem modum augendi formassupernaturales, ut dictum est. Neque contra Concilium, quia illo capite XXVI, solum definit quod: « Nihil deest operibus factis in gratia, quominus vitam æternam promeruisse dicantur, » et similiter nihil deest quominus augmentum promeruisse dicantur. Sed quomodo mereantur, et quomodo dependeat, vel non dependeat

hoc augmentum, ut de facto detur, ab aliqua conditione, vel dispositione, nec leviter insinuat, aut negat Concilium. Juxta secundam autem solutionem dicitur, quod actus remissus meretur augmentum cum dependentia a dispositione proportionata, concedo; sine ordine ad illam nego. Illa autem adveniente, illud augmentum correspondet utrique actui remisso, ut disponenti remote et indeterminate, ferventiori ut proxime et determinate. Ad secundum vero dicitur, quod ille actus remissus vere dicitur promereri augmentum gratiæ, sed suo tempore dandum, id est, exequendum dependenter ab actu ferventiori, ad quod per se disponit, et ordinatur actus remissus quod non negat Concilium.

XXXIII. Ad id quod addebamus initio hujus articuli de reviviscencia meritorum non est difficultas hujus loci, sed ut respondeatur argumento dicimus, quod omnia merita reviviscunt, quia informantur gratia, sed non est necesse quod informantur tota gratia, quæ erat ante peccatum in subjecto, sed gratia habitualis datur per penitentiam juxta qualitatem contritionis, et dispositionis in qua resurgit, ut diximus ex doctrina D. Thomæ. Atque ita sicut illa merita præcedentia non sunt sufficiens dispositio, ut detur tanta gratia, quanta erat antea in subjecto, nisi mediante dispositione in qua modo resurgit, ita et de augmento charitatis dicendum est. Unde D. Thomas in III, dist. XXXI, quæst. I, art. IV, quæst. III ad quartum inquit, quod per priora merita, merebatur homo tantam gloriam, quantam charitatem habebat, sed ipse per peccatum factus est alter, et non plenarie restitutus ad pristinum gradum, quando per remissionem penitentiam resurgit, et ideo non plenarie recipiet effectum prio-

rum meritorum, nisi quantum ad præmium accidentale, quod mensuratur magis actibus, quam habitu charitatis. Et idem fere dicit III part. quæst. LXXXIX, articulo v ad tertium. Signum est ergo quod merita vivificata dependent in exhibitione præmii essentialis a qualitate hujus gratiæ; et ista a dispositione proportionante subjectum. Et si aliquid horum deficiat, expresse dicit D. Thomas, quod frustrabitur præmium essentialis, quia merebatur illud ut exequendum dependenter ab istis conditionibus; et sic eodem modo procedit D. Thomas in reviscentia meritorum, et in augmento charitatis. Sed de illa quæstione pertinet ad materiam de penitentia citato loco tertiæ partis.

DISPUTATIO X.

DE AMISSIONE CHARITATIS, ET GRATIÆ.

ARTICULUS I.

Utrum peccatum mortale non solum demeritorie, sed physice repugnet charitati, ita ut in nullo instanti simul esse possint?

I. Ut percipiatur difficultas ante omnia distinguendum est peccatum actuale et habituale: nomine peccati actualis intelligimus ipsum actum pravum qui elicitur contra rationem; nomine autem habitualis peccati non intelligimus hic habitum inclinantem ad actum pravum, sed maculam (quam dicere possumus habitum maculantem, qui non est habitus positivus, sed privativus) habitualiter relictam in anima ex

actu avertente se a fine debito, unde privat rectitudine rationis, et gratiæ, cum respectu ad actum a quo causatur talis privatio; et quia virtute includit ipsum actum ad quem dicit respectum ut terminus relictus ex illo, ideo privatio illa, seu macula dicitur includere conversionem, et aversionem moralem ratione respectus ad actum, quo quis convertitur, et avertitur a fine. Præter istam autem privationem, seu maculam ex actibus pravis frequentatis generatur habitus inclinans ad similes actus, qui vocatur vitium, et est in ipsa potentia per modum inclinantis. In præsentia non loquimur de oppositione inter gratiam, et istum habitum, quia constat posse manere cum gratia quando aliquis recentius conversus nondum eximit habitus vitiosos; et potest etiam gratia expelli sine isto habitu, sicut per unum peccatum mortale expellitur gratia, et non generatur habitus.

II. Secundo, est advertendum, quod nomine physice repugnantiae intelligimus oppositionem ex natura rei inter aliqua extrema, sive utrumque extremum sit reale et physicum, sive alterum tantum. Sic enim oppositio in postprædicamentis dividitur per quatuor species, contradictoria, contraria, relativa, et privativa; quæ omnes dicuntur oppositiones reales, id est, ex natura rei, licet non omnia extrema sint positiva, ut patet in contradictoria, et privativa. Et distinguitur hæc oppositio ex natura rei contra moralem, seu demeritoriam, quia moralis solum importat rationem indignitatis ex parte subjecti ad aliquam formam; requirit autem quod tollatur mediante alio agente subtractente, vel denegante illam propter talem indignitatem subjecti; ipsa autem indignitas se sola non tollit realiter formam, cui opponitur mo-

raliter. Quando autem est oppositio ex natura rei, seu physica, unum extremum tollit aliud per ipsum. Sed tamen adhuc hæc oppositio est duplex: alia immediata, alia mediata. Immediata est quando per se ipsum unum extremum expellit aliud formaliter, nulla alia forma mediante, et subjectum est immediate capax utriusque: mediata autem est quando inter ipsa extrema se expellentia mediat aliqua forma, qua mediante fiat expulsio, sicut inter dispositionem et formam expulsam mediat forma introducta: vel etiam quando subjectum non est immediate capax utriusque extremi, sed potest manere in aliquo statu indifferenti respectu utriusque extremi, sicut non est immediata oppositio inter cæcitatem et visum in catulo ante nonum diem, quia nondum est capax utriusque extremi.

III. In hac ergo difficultate quidam dicunt peccatum expellere gratiam moraliter demeritorie: alii dicunt expellere moraliter extrinsece, id est, ex lege Dei, non moraliter intrinsece, quia existimant gratiam, et charitatem sine extrinseco favore, et acceptatione Dei non iustificare: alii dicunt peccatum habituale ex natura rei expellere gratiam; actuale vero solum moraliter: alii denique utrique tribuunt expulsionem physicam, seu ex natura rei, licet immediate; et formaliter peccato habituali, efficienter et mediate ipsi actuali.

IV. Dico primo: Peccatum habituale sumptum pro macula, physice, et ex natura rei opponitur formæ sanctificantis, sive sanctificet formaliter ut gratia, sive eminenter ut unio hypostatica, quæ eminenter et formaliter sanctificat, et visio beata, quæ eminenter et virtualiter sanctificat, eo quod est ipsa consummatio gratiæ, et terminus

ejus, cui virtualiter est annexa radix gratiæ non consummata. Hæc conclusio communiter asseritur a recentioribus, et de ea videri possunt Cajetanus hic quæst. xxiv, art. x et xii; Bagnez ibidem; Zumel 1-2, quæst. cxiii, art. ii, dub. iv; Medina ibidem; Lorca hic art. xii, disput. xxii, num. xii; Granados tract. iv de charitate, disp. iii; Torres hic art. x, dum inquit, quod peccatum mortale totaliter corrumpit charitatem et effective, quia illi contrariatur; et meritorie, quia qui peccat mortaliter est dignus ut Deus ab eo auferat charitatem. Ergo præter oppositionem meritoriam, seu moralem admittit aliam D. Thomas, quam vocat effectivam, quæ utique meritoria non est, et consequenter physica, seu ex natura rei: et quæstione de charitate, art. xii ad tertium decimum dicit, quod charitas non expellitur a peccato sicut ab agente, sed sicut a contrario, unde ipsa superventio peccati est expulsio charitatis, sicut adventio lucis expulsio est tenebrarum, lux enim expellit tenebras in ipso suo fieri: constat autem hanc repugnantiam inter lucem et tenebras, esse physicam, et ex natura rei.

V. Fundamentum est, quia eodem modo debet macula expellere gratiam, et charitatem privative, quo gratia et charitas expellunt illam positive: sed gratia, et charitas opponuntur physice maculæ positive; ergo macula illi physice privative. Major probatur, quia macula importat veram, et realem privationem rectitudinis gratiæ cum respectu ad causam, per quam ablata est talis rectitudo, nam vere peccator habet carentiam gratiæ in subiecto apto, quæ est privatio physica, et est privatio culpabilis moraliter per respectum ad peccatum a quo causata est: ergo talis macula expellit rectitudinem gratiæ physice,